

Præfatio ad Lectorem.

manticorū errores facilè refert. Vltima verò capita breui absolui, quia
 sex hoc volumine includi volebam, ne sequens reliqua capita cōplecti
 non posset. Hæc sunt ferè, de quibus te monere volui, vt sequentia fa-
 cilius caperes. His autem in prima sex capita quæstionibus, & cōmēta-
 riis Georgij Veneti problemata subiunxi, vt ea expurgarè, & vulgatā
 editionem tuerer, quā sæpe mēdosam appellat, in quibus cū maiores
 totius Genesis difficultates attingere videatur, ea supplere poterunt,
 quæ in commentario deesse possent. Vnde si quis conqueritur, quod
 fusiores fuerimus, & cum iusto volumine 6 tantū capita cōplectamur,
 notę & emendationes in problemata totam Genesim suggerent, & nos
 excusabūt, præsertim caput 49; cū enim Venetus in singulos propè
 versiculos problema scripserit, textum hebreum discussi, vbi præter
 textus explanationē, quæstionem de sceptro Iuda, quandōnā defecerit,
 & num inde Messias aduersus Iudęos probetur, inuenies. Ceterū erro-
 res quos passim in hoc libro defectu operarum irrepserunt, quos pro
 viribus, & tempore ad calcem notatos habes, benignè suppleas, quos si
 non omnes sublatos perspexeris, incuriam non arguas, donec aliquid
 simile prælo subieceris. Si quid verò minus arriserit, monita facilè pa-
 tiar. Quæcunque verò lecturus es in toto volumine, & quæcunq; scri-
 pturus sum, Ecclesiæ Catholicæ, & summi Pontificis illius visibilis ca-
 pitis censurę libenter subijcio. Exciderat è memoria me quæstionē de
 musica excitasse, quando de Iubale locutus sum, vt quicumque illam le-
 gerit, pro viribus diuini numinis laudes celebret, & cantū hīc incipiat,
 qui nunquā desinat, donec eū cœlestis ille cantus excipiat, quem beati
 concinent, dum illud Psaltis intonabunt, *Cor meū, & caro mea exulta-*
uerunt in Deum viuum. Altaria tua Domine virtutum, rex meus, &
Deus meus: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum
laudabunt te; qui psalmus ita mihi gratus, & ad animum in Deum eri-
 gendū aptus esse videtur, vt eum præcedenti quæstione triplici metro
 attulerim, vt nemo sit, qui cū illū deuotè cecinerit, non eruget illa ver-
 ba psalmi 41. *Quem admodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita de-*
siderat anima mea ad te Deus. Alia metra eandem ob causam me retulif-
 se credas. Quæ si Gallica fuerint, cogita me non solū latinè iciētibus, sed
 & Gallis scripsisse: si metrica, vide me huiuscemodi ad musicæ vires in-
 staurandas postulare, & cupere vt Galli similia deinceps cōponant, siue
 diuersis characteribus vtātur, vt c. 13 factum est, siue antiquos retineāt;
 quod fortè sufficiet, vt aliquando dicendū erit, si Gallum Ephæstionē
 proferamus, in quo de Gallorum elementis, syllabis, dictionibus, & ea-
 rum quantitate, de rythmis, accentibus, & metris abundè. Hæc autē
 omnia, quæ scripsimus, vel deinceps allaturi sumus, ad honorē, cultum,
 & gloriam numinis diuini transferri summopere cupio, vt nulla sit ars
 aut scientia, nulla creatura, nulla dictio, imo ne quidem litera, quæ ad
 illius gloriam fouendā, atque propagandā non collineet, vt ea ratione
 singulæ creaturæ laudent Dominū, cuius nomē benedictum in secula.

Psal. 33.

Psal. 41